

sceret, & ex hoc uno & solo, quòd talis idea in se sit, planè & manifestè concludere, DEUM etiam existere.

§. 7.

Ast enim quàm perplexum, incongruum, vitiosum ac futile totum hoc fit ratiocinium, cui vel leviter ponderanti non ad oculum patescit? Quid enim est dubitare, negare & inde demùm cognoscere? dubitatio nunquam est cognitionis principium. Quin imò manifestò laborat circulo, dum existentiam DEI probat è claritate ideæ DEI, claritatem verò ideæ ejus ex DEI existentia, adeò ut opus non habuisset Cartesius cornicum effodere oculos, & pro perspicuis intricata & obscuriora obtrudere.

§. 8.

Multò sanè evidentior est antea laudata Dionysii manuductio, in eâq; optimum genus, quò ab operibus ad opificem, ab effectû ad Causam primam ascenditur. Ita tamen comparatum est, ut speculatio hæc objectiva resultet è notitiâ Subjectivâ ingeneratâ, eidemq; quodammodo subordinetur. Hinc nonnulli sic pronunciant, Principium insitum esse qualitatem quandam ipsi potentiæ intellectivæ superadditam, in eâdem instar habitûs cujusdam firmiter radicatum, & cum Synteresi arctissimè unitam, quâ homo rectæ rationis usu pollens ad cognoscendum DEUM promptus reddatur, ut facilè & expeditè sponte suâ è conscientia latebris eandem actu elicere, & beneficiò illius clariorem & plenioram postea divini Numinis notitiam, mediante discursû naturali, sibi acquirere possit. Ad utrumq; digitum intendit Apostolus, de gentilibus agens: *γνωσὸν ἔστι θεῶν φανερόν εἶναι ἐν αὐτοῖς*, (Rom. I, 19.)

§. 9.

Hæc cum ita sint, mireris sanè, nonnullos sibi solis sapientes nescio quàm spontaneam cœcitatem confingere & impingere intellectui. Socinus certè cum infaustâ prole, Ostorodo, Smalcio & Crello, receptiorem hodiè, ut vocant, sententiam, homini naturaliter ejusq;ve animo inesse divinitatis alicujus opinionem, falsam proclamat. Simon Episcopus eam credit esse conditionem animæ humane, ut non modò nulla ei notio naturaliter sit impressa, sed nul-

lus